

A ros verò Pontifices, Scribas, & Seniores, propter ætatem nimirum, & prærogatiuam, qua cæteris antestabant, pingues appellati: quia multis Dei donis ante alios omnes fruebantur. Nam & alibi Moyfes in hanc sententiã futura longè præuidens: Comedit, inquit Iacob, & impletus est, & recalcitrauit dilectus: pinguedine & carne distētus est & obductus, & dereliquit Deum factorē suū. Eodem modo accipiunt Theologi dictum Psalmo L. x. v. i. i. Taurorum congregationem, Pontifices & Scribas, & reliquos Iudæorum Principes intelligēdo, qui & temerarij, & cornupetæ essent, Christum quæ & Apostolos ferociter incessuri forent. Minimè verò loco hoc prætereūdum est, quòd Theologi nostri Iacobis prædiuinationem de Iosippo, Tauri decor eius, trāsferunt ad Christum: Taurus quidem ob vtranq; dispositionem, alius ferus vt iudex, alius mansuetus vt assertor, qui generi humano salutē dedit, cuius cornua essent crucis extrema. Nam & de parte nauis antenna, dictum inuenimus,

Cornua velatarum obuertimus antennarum.

B Hac autem virtute crucis, & hoc more cornutus, ait Tertullianus, vniuersas gentes etiamnū ventilat, per fidē auferens à terra in cœlum, & tunc ventilabit per iudicium, deiiciens de cœlo in terram. Vbi etiam de Simeone & Leui loquitur: In concupiscentia sua subneruauerunt taurum, de Christo identidem intelligi volunt, cuius neruos sacerdotes præcipuè, clauis suffigendos curauerunt.

PIERIVS VALERIANVS AD PETRVM VI-
CTORIVM, DE HIS QVAE PER EQVVM

significantur ex sacris Ægyptiorum literis.

VPERES Petre Victori, vt ex amicis nonnullis intellexi, qua ratione modoq; hieroglyphica Leonus, Elephanti, & id genus animalium plurimorum explicuisse me accepisti, qua fuerint. Equi quoque significata apud eosdem Ægyptios tibi describi. Verum scias pauca ea esse que super equo Sacerdotes illi tradiderint: quippe qui animal vti profanum aspernabantur: neque enim Sacerdoti licebat equo vehi. Sed enim Græci Latiniq; neque non Hebraei, multa saper eo scitu dignissima memorie prodiderunt, qua hoc explicabimus Commentario. Præter enim id quod obsequi tibi incundissimum existimabam, inuitauit me ad huiusmodi lucubrationem animalis ipsius dignitas, vigor, & natura eius spectatissima quedam excellentia. Nō enim ex eo genere est, quod parui facere debeamus, cum tot ex equo humano generi commoditates obuenant, siue domesticis, siue publicis sitibus adhibendus. Sed frustra hic equum laudare aggredior, cum super eo tam multa, tam præclara toto passim Commentario reperiantur: qua qualiam sint, hinc iam, vt instituimus, dicere incipiamus.